



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque  
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac  
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico  
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

**Sfondrati, Celestino**

**[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.**

51. Breve S. D. N. Innocentij Papæ ad Archiepiscopum Tholosanum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38277**

atque Ecclesiam istam singulari cum vestra laude & pro-  
ventu ab omni tribulatione, quam subire necesse est, qui-  
cumque volunt piè vivere in Christo Jesu, quàm primùm  
liberaturam. Lata interim vobis omnia assiduo cum Di-  
vinæ Gratiæ incremento apprecamur, & intimo paterni  
amoris sensu Benedicimus. Datum Romæ apud Sanctam  
Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 25. Septemb.  
1680. Pontificatus Nostri anno quinto.

Marius Spinula.

## Documentum LI.

Breve Sanctissimi D. N. INNOCENTII XI. PP.  
Ad Illustrissimum Archiepiscopum Tholosanum.

INNOCENTIUS PP. XI.

Venerabilis Frater. Non possumus non vehementer  
mirari, quod ad aures nostras pervenit, videlicet Frater-  
nitatem tuam veritam non esse passim absolvere eos, quos  
novo & injusto Regaliæ titulo, in Apamiensis Diocesis  
Beneficia intrusos bonæ memoriæ Franciscus Episcopus  
declaravit obstructos censuris, à Generali Concilio Lugdu-  
nensi inflictis; cum præsertim non desint, qui parochiales  
quoque Ecclesias (rem antea inauditam) eo prætextu oc-  
cupaverint. Admirationem verò Nostram vehementer  
auget, quòd nihil statuere potes contra jura, libertatèmque  
Ecclesiæ Apamiensis, quin idem contra Tholosanam, &  
universam Provinciam istam statuas. Præterea ignorare  
non potes, Episcopum ipsum Apamiensem à tuis Senten-  
tijs ad Nos, & ad hanc sanctam Sedem appellasse, Nosque

Bbb 2

appel-

appellationem hujusmodi admisisse; cujus rei vel umbra ipsa, si debitam Eisdem Sedi reverentiam in consilio habere voluisset, revocare te, atque retrahere ab incepto debuisset. Hæc scribenda ad Fraternitatem tuam duximus; ut & ea, quæ perperam egisti, corrigas, & à similibus in posterum agendis abstineas, atque interim conscientia tuae consulas.

Datum Romæ die 2. Octobris 1680.

Marius Spinula.

## Documentum LII.

Breve Sanctissimi D. N. INNOCENTII XI. PP.

Ad Capitulum Ecclesiæ Apamiensis.

INNOCENTIUS PP. XI.

**D**ilecti Filij, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Præter omnem expectationem Nostram accepimus ex vestris litteris, quæ nuper isthic acciderunt de dilecto Filio Michaël d' Aubarede Archidiacono, & Vicario Generali, per vos verum & legitimum ejusdem Ecclesiæ Capitulum constituentes, Canonicè Electo, exulare jullo; deque admisis ad celebrationem divinatorum officiorum ijs, quos tanquam in beneficiorum possessionem temerè ac violenter intrusos, bonæ memoriæ Franciscus Episcopus vester innodatos censuris, à generali Concilio Lugdunensi inflictis, promulgaverat. Vestrae tamen pietatis, ac fidelitatis, manere in statione, & locum, in quo positi estis, constanter tenere, sicut facitis: neque alios Vicarios Generales sede vacante agnoscere, quàm præfatum Michaëlem d' Aubarede, & alios à vobis electos, vel eligendos; quos etiam quatenus opus sit, autoritate Apostolicâ confirmamus, & respe-